

libertatem, quam per declinationem atomorum explicare conantur. Stratonici per illam plasticam virtutem res omnes necessarie productas fingunt, ac pro materia dispositione varios effectus fieri, hoc est, vegetationem in plantis, sensum in brutis, & in homine rationem etiam, atque consilium. (Vid. in prolog. Septem Part. vers. Septenario: & lit. A. p. 130. col. 2.)

V. Anaximander, & Spinosa materiam, unam, immensam, infinitam, & secundum se totam immutabilem, mutabilem vero secundum partes confingunt. Anaximander vero ait, materiam per motum, & naturales qualitates frigoris, caloris, humiditatis, & siccitatis producere reales formas magnitudine, figura, motu, & quiete distinctas, inter quas formas vitam quoque animale, sensum, & rationem constituebat, & hac ratione infinitos ante genitos mundos, atque infinitos gignendos imaginabatur, qui corrupti in nature infinitatem redirent, cuius deinde virtute novi successive non secus, ac Epicurus, de fortuito atomorum concursu philosophatus est.

VI. Benedictus autem Spinosa gente, ac religione Judæus, qui natus Amstelodami die 14. Novemb. 1632. obiit Hagæ Comitum 21. Februarii 1677. in impia sua ethica Arithmetum mathematica demonstrare methodo conatus est, absurda quadam conficta hypothesi, in qua materiae infinite & immensæ, infinitam quoque cogitationem asseruit. Hypothesis autem hæc est; Fingit, substantiam unam tantum esse posse, eamque æternam, necessariam, infinitam, immensam; substantiæ vero præcipuas proprietates esse extensionem immensam, & cogitationem infinitam; Modos autem, & affectiones, quibus substantia illa, quatenus extensa est, particularia corpora constituit, & quatenus cogitans, belluas, hominæque efficit, substantias, sive Dei attributa, & affectiones vocat, quæ determinato quodam modo Dei essentiam exprimitur. Hinc lapis e. g. non est nisi substantia, sive Deus, quatenus extensus; qui particulari modo per illud attributum exprimitur: bella quoque Deus est, qui per illius organa & animam, extensionem & sensum, finito, ac determinato modo exprimit: hominis denique mens eadem substantia est, quatenus cogitans, non ut infinita, sed quatenus humane mentis essentiam constituens, hanc vel illam habet ideam, & sibi conscia hoc vel illo particulari modo delectabiliter operatur, licet semper necessario. Vide, inquit doctissimus Salignæ, Spinosisticum Deum: duo homines, quorum unus negat, alter ait, unus fallitur, alter verum assequitur, unus adorat, blasphematur alter Deum, nil sunt nisi unum indivisibile ens, una substantia, sive Deus, qui in uno ait, negant in altero, fallitur in uno, non vero in alio, colit in illo Deum, in hoc blasphematur. En Spinosa Numen: Quis vero fingat in indivisibili infinita substantia tot diversos modos, in perfecta unitate tantam rerum varietatem, & multitudinem, in invariabili, & infinito mutatione, & limite? Hæc sunt profanorum ætatis nostræ hominum deliria. Hæc portentosa eorum sapientie inventa sunt, qui ut supra ceteros sese extollant, spiritus fortes appellari solent.

VII. Hactenus Pantheistarum hypotheses exposuimus. Quoniam vero in describenda Pantheismi historia, & in Pantheistis recensendis impii quidam Angli, ac Baillius, Buddæus, & etiam Antonius Genuenis turpiter erraverunt non sine maxima injuria etiam Sanctorum hominum, & cum aliquo religionis detrimento, animadvertere hic operæ pretium duximus, satis non esse ad insimulandum hominem Pantheismi, ut vel vocabula quedam adhibuerit à veris Pantheistis usurpata, vel hypotheses usurpaverit ad nature phenomena explicanda, quæ aliqua in parte supra recensitis sint similes; sed necessariam præterea esse, ut Deum non agnoscat Universi Auctorem Rectoremque. Il ergo, qui Deum adstruant

à rerum universitate distinctum, atque diversum, qui mundum condiderit, conservet, & regat, non nisi per summam injuriam Pantheismi accusantur. Ac multo major injuria est, si ii Deum etiam materia creatorem esse fateantur. Hæc adeo clara sunt, ut demonstratione non egeant, & ut pro explorata regula haberi possint in texenda Pantheismi historia.

VIII. Quæ cum ita sint, quis non rideat impios illos Anglos, qui Moysen, & Sanctum Paulum, aliosque probatissimos viros veriti non sunt inter Pantheistas recensere? Quid enim clarius in Moysis libris, atque in Paulinis Epistolis, quam quod Deus creavit Cælum & Terram, quodque omnia virtute sua conservet, & regat? Scio hoc fingere Moysen nomine Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas, vim quamdam in natura activam, & genitricem, aut plasticam virtutem designasse. At quid hoc cum Pantheismo commune habet? Nam vis illa quæcumque fuerit, ex Deo est, qui mundum condidit, atque regit. Ait quoque Paulus: In Deo vivimus, movemur, & sumus; sed cum eundem Deum opificem summum, rectoremque adstruat Universi, qua ratione verba illa in Spinosisticum sensum trahi poterunt, cum satis perspicue exprimat, Deum mundi Auctorem immensitate sua nobis presentem esse, ac actione sua ita nos conservare, & fovere, ut in ipso simus, ac per ipsum moveamur, atque vivamus? Sed mittamus hæc, atque ad alia veniamus.

IX. Primo itaque constat, perperam inter Pantheistas recenseri antiquos Philosophos qui hypotheses adhibere iis etiam similes, & cogitatio nem infinitam, & effectus, dum constat, hos non negasse, sed præsupposuisse Dei existentiam, & providentiam; cum enim id nobis constet, palam fit illas hypotheses excogitasse ad modum explicandum, quo causæ secundæ juxta leges à prima causa prescriptas, mundi genesim effectusque reliquos efficiant. Ita sane egisse Philosophos omnes, qui ante Anaxagoram physicam rerum causam investigarunt, ac etiam eos, qui ex minimis moleculis ante Democritum cuncta fieri autumantur, observatum à pluribus constat, ut optime advertunt Gerdil, Ansaldo, Cudworthius, Joannes Albertus Fabricius, aliique.

X. Secundo nec inter Pantheistas haberi posse Stoicos, aliosque antiquos, qui Deum mundi Auctorem, rectoremque asseruere, quod Deum quandoque dixerint animam mundi. Nam exploratum est, hos hoc animæ nomen non nisi improprie usurpare, & longe alio diverso sensu, ac mens anima hominis nuncupatur; Cum hæc corporis, hominisque Auctor non sit, sed pars sit hominis, humanarumque functionum principium. At multo minus Pantheismi suspecti sunt, qui Deum continuata actione creaturas conservare, cum ipsis concurrere, aut etiam præmovere eas asserunt. Nam ii Deum cum rerum universitate neutiquam confundunt; sed supremi illius domini exercituum explicant in res, earumque functiones, quod notatum iis velim, qui Genuensis Metaphysicam legunt.

XI. Tertio nec jure Pantheismi suspecti habentur Morus, Clarkius, Cudworthius, Rapinior, aliique, qui spatium pro Dei immensitate habent; nam ii existentiam & providentiam Dei asserunt, probant, & explicant, atque ab hac fieri regieque omnia teneantur. Ubi ergo Pantheismus est? Numquid ex eo quod penetrato à rerum universitate spatio, hoc unum cum illa rem indivisam constituit? At id Genuensis cerebrum fingit, sed nunquam probabit, cum spiritu corpus penetrare, quin eadem cum illo substantia fiat, norint fere omnes; cumque mutuum corporis penetrationem contingere per miraculum posse, nostri Theologi omnes propugnent, ac Philosophorum plerique, quin jactata ab illo inde sequatur identitas. Il ergo reprehendi ea unice de causa possunt, quod

quod immensitatem Dei rite non explicant, sed Pantheismi accusari non possunt.

XII. Quarto, neque ii Pantheistæ existimari possunt, qui licet mundum æternum putaverint, Deum tamen illius Auctorem, Rectoremque norunt, atque probantur, ut Aristoteles, & recentiores Platonici; sed dici dumtaxat æternum Aristotelem beneficiam Dei libertatem negasse. Excusari autem nequeunt illi, qui naturas homine præstantiores adstruebant, sed ortas illas fingebant cum tota rerum universitate, ex chaos, & Oceano in ipso rerum exordio. Nam naturas illas ex materia prædiisse ajunt, atque partes esse universi, sive conficti à Pantheistis Dei.

XIII. Quinto denique injuria Baillium, & alios Scotistas ob assertas naturas à parte rei metaphysice universales, & univocationem entis, Pantheismi, & Spinosismi insimulari; nam præterquamquod longe diverso à Spinozæ sensu entis unitatem, quæ sola abstractione mentis continetur, agnoscut, perspicuum est, eos admittère Deum etiam materia Creatorem, ac Moderatorem rerum omnium. Eadem ratione constat, non nisi per summam impudentiam suspectos prædicari Pantheismi peripateticos admissas reales formas iis similes, quas Anaximander confixerat; Nam ii recte de Deo, ejusque providentia sentiebant.

XIV. Præter hæc ad cognoscendum, quam lævia & suspecta sint indicia, quibus profani homines moventur ad augendum atheorum numerum, atque ad conciliandum per aliorum auctoritatem quandam impietatis verisimilitudinem, observare etiam necesse est, homines plerumque Atheos, aut sine religione dictos à nonnullis fuisse, vel quod receptam apud suos religionem non servarent, vel quod falsa numina colerent, vel quod datam fidem facile infringerent, vel denique quod efferais moribus offenderent parum apud eos potuisse minarum supremi Numinis metum, atque terrorem. Hæc omnia exemplis probantur. Anaxagoras, Socrates, & Evehemerus ab antiquis nonnullis Athei appellati fuere, licet Deum mundi auctorem, rectoremque agnoscerent, atque docerent, quia primus Solem è Deorum numero expunxit; alter Deus gentium recusavit; tertius vero, quia Deorum Græciæ popularium ortum, sepulchra demonstraverat, ut Clemens Alexandrinus ostendit. Accedit etiam Judæos & Christianos Atheos à Gentibus passim appellatos fuisse, quod Idola ut ipsi non colerent, ut ex Justino, Athenagora, Tertulliano, aliisque christianæ religionis Apologisticis, novimus. Item Atlantes, ut refert Melas, atque Æthyopes, qui ad torridas Zonas habitant, teste Strabone, Athei à nonnullis appellati fuere, quod Solem excrearentur, veluti ipsis noxium, licet aliunde constet, religionem servasse: Sanctus Nilus Atheos vocavit Arabes, quos adorasse matutinam stellam recenset. Ob efferautos mores à Macrobio Gigantes, à Porphyrio Theos, & à Dionysio Periegete Nasamones Athei vocati fuere, de quorum sane religione aliunde constat; Denique, ut alia mittam, Galli, quos maxime religioni deditos Cæsar exhibuit in suis de bello gallico commentariis, à Cicerone Or. pro Fontejo sine religione dicuntur, ea fortasse de causa, quod fidem datam facile infringerent. Atque hæc satis quoad historiam.

XV. Ad errorem quod spectat, qui sola explanatione refellitur, satis duximus argumenta per summa capita indicare, quibus confutatur, ac celeberrimos, qui hanc oppugnauerunt, Auctores recensere. Primum itaque consensus omnium ejusque ætatis gentium in asserendo mundum statuto tempore à Supremo Numine conditum esse, ejusque providentia gubernari, invictum argumentum depromptum est ex traditione à primis hominibus ad posterum ubique locorum diffusos transmisit, quo ostenditur Deum esse Supremum mundi opificem, & conservatorem, atque rectorem. Inter plures, qui de hoc at-

gumento scripserunt, videri poterunt opera Patris Monilia, ac Patris Vincentii Patuzzi celeberrimi è Dominicana familia Theologorum, quorum primus adversus Fatalistas, & Materialistas, alter vero de vitæ futuræ statu nuperime scripsit: videri quoque poterit Auctor principiorum religionis naturalis, & revelatæ, qui circa operis initium hujusmodi argumentum accurate pertractat, & Joannes Albertus Fabricius in delectu argumentorum, & Syllabo Scripturarum, qui veritatem religionis christianæ adversus Atheos, Epicureos, &c. asserunt: Is sane c. 8. argumentum à consensu generis humani erudite persequitur, & nullas umquam esse vel fuisse gentes Atheas ostendit, ac n. 5. plures Auctores recenset, qui ex professo de hoc argumento tractarunt.

XVI. Argumenta reliqua ex rerum natura, motu, & finibus petita, ab omnibus fere Philosophis, & Theologis nostris recensentur; dum Dei existentiam & providentiam adversus Atheos, & Epicureos, demonstrant. Inter hæc vero plurimum ad Pantheismum refutandum valet argumentum ex rerum contingentia desumptum, de qua fuse disputat laudatus Pater Monilia in suo opere contra Materialistas, ubi luculenter demonstrat, non solum rerum individua, atque species, & aspeclabilem mundum, sed etiam materiam ipsam contingentem esse, ideoque esse non potuisse, ac sola liberæ Supremi Opificis actione creatam esse, atque conservari. Et sane ens contingens est, quod ita existit, ut possit non existere: Materia vero ita se habet. Etenim in notione materiæ idea existentie non relucet; cum æque bene concipere possimus nullam materiam existere, ac concipiamus posse non existere materiam de qua urbs nostra constat, vel ex qua formatus est Sol, Luna &c. Nil enim prohibet, quin omnis fingamus materiam hujusmodi non existere. Concipere ergo possumus nullam existere materiam. Ergo materia universa per notionem, quam ingerit nobis, veluti ens contingens exhibetur. Si contingens est, & in se sufficientem rationem existentie suæ non habet, sed in causa aliqua, cujus libera actione sit, & conservetur. Atque hæc causa Deus est Auctor, Conservator, & Reflor Universi. Vide etiam Auctores, qui contra Pantheistas, & Spinosam ex professo scripserunt, scilicet Antonium Genuensem in sua metaphysica, Franciscum Lamy Benediclinum Congregationis S. Mauri, Henricum Morum, Isaacum Jaquelotum, Samuesem Clark, aliosque bene multos, quos recenset Jo. Albertus Fabricius in opere supra citato. Vide infra verb. Religio.

PAPA.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt Papæ electionem, consecrationem & coronationem.

SUMMARIUM.

- 1 PAPA non potest sibi eligere successorem, & quomodo debet procedi in electione, ad numer. 19.
- 20 Ex quo tempore fuit statutum, ut per Cardinales perageretur, subsequente Cleri ac populi Romani approbatione; intra decem dies post Summi Pontificis mortem que notari digna efficiuntur, recensentur, ad num. 30.
- 31 Eo ipso quod intra conclavæ Cardinales extiterint, quomodo se gerere debent, ad num. 45.
- 46 Quis eligi possit, ad num. 54.
- 55 Forma & modus electionem efficiendi, ad n. 62.

63 Post Papae electionem ceremonialia designantur; quare noviter electus aliud nomen accipit, consecratio seu inronizatio, benedictio & coronatio, à quibus sunt faciendae, ad num. 73.

74 Alia remissio.

1 PAPA non potest sibi successorem eligere, & si eligeret, irrita esset electio. Sic. Glossa in cap. Apostolica §. His omnibus verb. Beratus 9. quarr. 1. quam sequuntur omnes, teste Felino in cap. 2. sub num. 23. col. 5. vers. Fallit quarto de Constitution. Item Gloss. in cap. Si transitus verb. Non possit dist. 79. & ibi etiam Archidiaconus, Bellarm. Geminian. & Præpositus Abbas in cap. Accepimus 5. de pactis num. 22 ubi testatur hanc esse communem conclusionem. Doctores passim in cap. Licet. & de vitanda de electione, & ibi in specie Joann. Andreas num. 15. Butrius num. 3. & num. 21. Card. num. 9. in 6. quarr. Abbas num. 2. Decius num. 7. & B. S. Joannes de Capistrano de potestate papae. 2. inter tract. Commun. tom. 13. fol. 32. Card. Zabarell. in cap. Licet num. 9. de elect. & in Clement. Ne Romani in 6. quarr. num. 5. de elect. Card. Jacobatus de Concil. lib. 10. art. 7. in solutione undecimi argumenti fol. 34. Card. Turrecremata in Summa de Eccles. lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 51. Card. Cajet. tom. 1. Opuscul. tract. 3. de potestate Papae, & Conc. Apol. 2. cap. 22. Card. Alban. de Cardin. quest. 32. Card. Baron. ad annum Christi 11. & ad 572. Aug. Triumph. de potestat. eccler. q. 2. art. 3. in corpore, Fagnan. lib. 1. Decretal. in cit. cap. Accepimus 5. de pactis num. 29. & sequitur plurimis aliis ibi citatis, Barbosa Juris Ecclesiast. univ. lib. 1. c. 1. n. 40. cum aliis pluribus ibi adductis. Et plures alii citati à Card. Petra tom 4. Commentar. ad constitut. 5. Clementis VI. n. 9. contra Victoriam, Bonacinam, Suarez, Vasquez, Turrianum, Ledesnam, & alios.

2 Papa prohibetur eligere sibi successorem non solum de Jure ecclesiastico, ut habetur ex cap. Episcopo 3. cap. Pierique 5. cap. Moyses 6. caus. 8. q. 1. cum similibus, & tenent communiter Doctores, sed etiam de Jure divino, & naturali. Fagn. loc. cit. à num. 38. usque ad finem; ubi plurimis adductis id suo more solide probat, & omnia solvit argumenta contraria. Barbosa loc. cit. à num. 44. ad 47. ubi ex multis id clare ostendit, & sic plures alii citati à Card. Petra, loc. cit. à num. 7. ad 9.

3 Nec valet obijcere exemplum Christi, qui sibi successorem elegit S. Petrum Apostolum; adeoque id ipsi similebit Romanis Pontificibus, qui vices Christi gerunt; cap. ad Apostolicæ 2. §. Nos itaque, de sent. & re judicata in 6. quia omnis Christi actio nostra est instructio, cap. Significasti 5. de electione.

Christus constituit Petrum suum Vicarium in terris, non successorem; ipse enim est Sacerdos in æternum. Quare argumentum corrui. Deinde post Christi Domini ascensionem ab Apostolis Petrus non electus, ut ait Auctor, sed recognitus fuit eorum Princeps.

Advertendum erat, quod allata ibi à me obiectio, est obiectio adversariorum, & non mea conclusio. Dico enim: Nec valet obijcere &c. Et prius in Summario sic: adducitur & solvitur instantia &c. prout iisdem terminis adducitur, & solvitur plurim adductis à Celeberrimo Fagnano lib. 1. decretal. in cap. Accepimus 5. de pactis num. 18. 54. & sequitur ipsum ibi Theologus, qui id expressè tradunt; ut inter alios Barbosa Juris ecclesiastici lib. 1. cap. 1. de summo Pontifice, num. 16. ubi in Summario sic expresse habet: Petrus Vicarius, & suc-

cessor Christi multis ostenditur, & in corpore sic: Quod autem Christus voluerit Petrum sibi Vicarium, & successorem existere, ipsemet ostendit, dum dicit &c. Vide ibi ad longum. Et Card. Petra tom. 4. Commentar. in Constitut. 5. Clementis VI. in Summario num. 3. sic præcise: Christus, qui forma dicitur Petrum sibi successorem elegerit Et in corpore n. 6. sic præcise: Qui primam sententiam tuentur, potissime adducuntur; Cum Christus Dominus sibi successorem instituerit Petrum. Pro eodem enim quantum ad hoc salva in reliquis debita differentia, & proportione, videtur, hic accipere Vicarium, & successorem. Sicuti pro eodem sumit sanctissime regnans Summus Pontifex Clemens XIII. in apostolicis literis quibus facultatem concedit Ordinariis eam poscentibus, impediendi cum Indulgentia plenaria Apostolicam Benedictionem suis decanibus vere poenitentibus, & confessis, ac sacra communione reflectis in duabus; cujuscuque anni solemnitatibus, videlicet die Paschatis, & alio die Festo eorum arbitrio, & voluntate eligendo; ibi: Exemploque suo edocuit, quid eos quos in gubernanda Catholica Ecclesia Successores, ac Vicarios suos in terris relinquebat, in Domino facere oportere. Et ad id. quod subjungit Theologus dicens: deinde post Christi Domini Ascensionem ab Apostolis Petrus non electus, ut ait Auctor, sed recognitus fuit eorum Princeps, jam patet responsio ex traditis à Fagnano loc. cit. n. 54. merito à me loc. cit. num. 4. secut; per ipsissima sua verba, ibi quinimmo, ut notat Fagnan. loc. cit. num. 54. ipse quoque S. Petrus ministerialiter ab Apostolis electus fuit post Domini in Cælum Ascensum: in cap. In novo 2. dist. 21. ibi: Ceteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsum quoque Principem eorum esse voluerunt, Nonne Fagnani, & meam conclusionem satis aperte demonstrat illa verba: ipsum quoque Principem eorum esse voluerunt, &c. Et in cap. Sacrosancta 2. dist. 22. ibi: Petro tamen à Domino concessum est (& ipsi inter se voluerunt id ipsum) ut reliquis omnibus præset Apostolis, &c. Ponderentur illa verba: & ipsi inter se voluerunt id ipsum, & satis patebit, per ipsa denotari saltem ministerialis electio Petri in eorum caput & Principem facta à ceteris Apostolis, ut tradit clavis Canonica Fagnanus, in intelligentia & expositione Sacrorum Canonum nemini certe secundus.

Non valet inquam, quia Christus uti Supremus Dominus potuit de re sua, id est, de sua ecclesia absolute disponere, & eam suo arbitrio fundare. Non sic autem alii Pontifices, qui non domini, sed dispensatores existunt; Tum quia, ut rectè dicit Augustinus Triumph. de potest. eccler. q. 2. art. 2. in corp. Christus fuit Deus, & homo, ideo in suo iudicio non potuit falli, neque fallere; sed quia iudicium humanum est fallibile, quia purus homo potest falli, & fallere, ideo conveniens fuit post Christi ascensionem, & post mortem illius, qui immediate à Christo electus fuit, ut promotio cujuslibet alterius Summi Pontificis fieret per electionem, ut ex collatione, & concordia plurimum talis electio careret errore, & mereretur suscipere divinam inspirationem. Quinimmo, ut notat Fagnanus loc. cit. n. 54. ipse quoque S. Petrus ministerialiter etiam ab Apostolis electus fuit post Domini in cælum ascensum, ut patet in cap. In novo, dist. 21. ibi: Ceteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsum quoque Principem eorum esse voluerunt; Et cap. Sacrosancta 2. dist. 22. ibi: Petro tamen à Domino concessum est (& ipsi inter se voluerunt id ipsum) ut reliquis omnibus præset Apostolis, & Cephas, id est, caput, & principium teneret Apostolatus, qui etiam eandem formam sibi succes-

soribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt. Ad id autem, quod dicitur quod omnis Christi actio nostra est instructio, conceditur de omni actione, quam fecit ut homo, non autem quam fecit ut Deus; nam ipse ambulavit super aquas, & jejunavit absque omni cibo, & potu quadraginta diebus, & ad hæc non adstringitur, quia talia miraculose fecit ut Deus. Et sic quod Christus Petrum sibi constituerit successorem, eique contulerit potestatem ligandi, & solvendi, non est trahendum ad exemplum, cum non ut homo, sed ut Deus operatus sit; cap. Ita Dominus 7. dist. 19. c. Omnes 1. dist. 22. & cap. Solita §. Potuisses, de majoritat. & obed. (Lit. E pag. 178. col. 2.)

Nec valet instare ex cap. Si Petrus 1. caus. 8. q. 1. quod S. Petrus Apostolus sibi elegit successorem S. Clementem, quod ipsemet Clemens attestat in epistola prima ad Jacobum Fratrem Domini dicens: Simon Petrus in ipsis diebus, quibus vitæ finem sibi præsentis, apprehensa manu mea repente consurgens in auribus totius ecclesie hæc protulit verba: Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli me prædicationis, & doctrinæ cathedram trado. Sic præcise refertur in cap. Unde 2. cit. caus. 8. §. q. 1. & latius in eadem Epistola, quæ habetur integra tom. 1. Concil. part. 1. fol. 27. col. 1. Hoc autem S. Petrus non fecisset, si Jure divino, & naturali prohibuit fuisset; dist. 5. in Summario §. Naturale Jus, cap. Sunt quidam 6. caus. 25. q. 1. Non valet, inquam, quia in primis illa Epistola videtur falso inscripta ejusdem Clementis nomine, ut insinuat Card. Baron. Annal. Eccles. tom. 1. anno Christi 60. pag. 680. quia longe ante mortem Petri obierat Jacobus Alpha Frater Domini, dictus Justus & minor, qui constitutus fuerat à Petro Episcopo Hierosolymitanus, & ex Templici vertice fuit præcipitatus anno Domini 63. Petri vero 19. Neronis 7. ex tabula Cronographica Jacobi Guault. primo seculo fol. 8. & ex Breviario Chronologico Fr. Francisci à Coriolano fol. 15. Ex Card. Baron. dist. tom. 1. anno Christi 69. pag. 628. & 680. & ex Barbosa loc. cit. num. 45. Et non debet confundi iste Jacobus cum altero Jacobo Filio Zebedæi, qui primus Apostolorum cæsus obit anno Domini 44. sub Herode Agrippa. Unde cum d. Epistola scripta sit post obitum S. Petri, & sic post annum Neronis decimum tertium, scribi non potuit ad Jacobum Alpha, qui jam obierat anno Domini 44. sub Herode Agrippa, & sic multo prius ante mortem S. Petri. Et propterea Card. Bellarm. de Scripturis Ecclesiasticis in S. Clemente dicit, dictam epistolam non carere scrupulo, & multis rationibus hoc ipsum ostendit Jul. Lavorius var. lucubr. tom. 1. tit. 4. cap. 3. num. 51. Et de ipsa dubitant Fagnan. loc. cit. num. 59. Barbosa loc. cit. num. 45. aliique multi Canonistæ, & Theologi apud Card. Petram loc. citat. num. 8. Possevin. in Apar. Sac. in verb. Clemens Romanus, Mendoz. q. 4. Schol. §. 1. 1. vers. Quarto.

Nec parva est controversia inter Doctores, an Clementis fuerit secundus, vel quartus Summus Pontifex. Unde Glossa in cit. cap. Si Petrus 1. caus. 8. quest. 2. verb. Aut ligandi, habet sequentem versum: Disputat hic mundus, quartus, fuerit secundus.

Sed dato etiam, quod S. Petrus eum sibi successorem nominaverit, ut communis sentiant Doctores, responderetur cum Barbosa loc. cit. n. 47. quod melius dici potest, Petrum ex omnibus Presbyteris, & Diaconis Romanæ Urbis XXIV. elegerit, cum quibus omnia ardua negotia ecclesie resolveret, eosque sibi coadjutores, & Consiliarios, & Summi Pontificis Electores instituit, ordinavitque, ut ex sacro hoc XXIV. Senatorum collegio, quos postea Silvestri I. Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales nuncupant.

FERRAR. BIBLIOTH. TOM. VII.

Pontifices eligerentur, ut colligitur ex c. Oportebat 3. dist. 79. In præsentia igitur horum Electorum Petrus in ultimis vitæ suæ diebus consurgens Clementem in Pontificem nominavit, quod tamen ita factum creditur, si à Sacro illo Romanæ Ecclesie senatu admitteretur: Cognoscentes vero hujusmodi nominationis formam graviter in futurum ecclesie posse nocere, non Clementem, sed Linum elegerunt, & illum post Petrum Pontificatui Romano præsepe voluerunt, quamvis deinde Clemens decedentibus Lino & Cleto, ab ipso Senatu in Pontificem fuerit electus. Colliguntur hæc ex Cæremoniali Romano lib. 1. sect. 1. cap. 3. Unde apparet, Sanctum Petrum non sibi Clementem necessario successorem elegerit, sed tantum nominasse; ut à sacro illo collegio juxta formam sibi traditam eligeretur, & ita intelligendum est textus in dist. cap. Si Petrus 1. cum seq. caus. 8. q. 1. hæcenus Barbosa.

Quæ ex Barbosa Auctor recenset, haud facile eruditus Lector probabit. Quamobrem Romani Censores addendum hic voluere, quod Antonius Sandinius in sua historia apostolica hac de re scripsit. Irenæus, inquit ipse, memoria prodit, Lino Episcopatum administrandæ ecclesie à Petro traditum, Tertullianus Clementem datum; Hoc enim modo, ait, Ecclesia Apostolica census suos deferunt: sicut Smyrnonum Ecclesie Polycarpum ab Joanne collocatum refert; sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum iidem: Perinde utique, & cetera exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici Seminarii traducere habeant. Itaque sicut Polycarpus ab Joanne inauguratus est, ut esset Antistes ecclesie Smyrnonum; ita Clemens à Petro ordinatus dici debet, ut esset Pontifex Romanorum: alioquin non rectè Tertullianus duas illas ecclesias inter se comparasset. Ex Scripturis tam antiquis, quam recentibus, alii Irenæum sequuntur, alii Tertullianum. Baronius, cujus præ ceteris sententiam probant Natalis Alexander, Coelerius, Bolandus, Tillemontius, secutus conjecturam Epiphani, utrosque ita componit. Scribit enim, S. Clementem accepisse quidem à D. Petro episcopatum, modestiæ tamen causa de suo cedentem jure collatam sibi dignitatem recusasse, donec Linus, & Cleto Petri ipsius in Episcopali munere administrati, alius post alium, opera crediderim ejusdem Clementis à Clero electi, Romanam Ecclesiam gubernarent. At vide Eminent. Orsium tom. 1. sua Histor. Ecclesiast.

Quæ ex Barbosa loc. cit. ego recenseo, nendum facile, sed facillime probant eruditissimi & magni nominis viri, ut videre est in Card. Petra num. 4. comment. in Const. V. Clem. VI. à num. 5. ad 17. ubi post multa ipse concludit: Verumtamen probabilissimum etiam est, quod à Clero Romano fuerit Linus in Cathedra Petri locutus. Pro comperto enim est, quod à primordiis ecclesie summi Pontificis electio apud Presbyteros & Diaconos urbis Romæ erat, qui à Petro in loco absentium Apostolorum per regiones urbis constituti erant. Fagnan. lib. 1. decretal. in cap. Accepimus, de pactis n. 58. & 59. Matheucci in opere dogmatico controvers. 6. n. 15. et alii plures, ut eruditus liquet; sed dato etiam, quod omnino non consistant, quæ tradit Barbosa, gravis alioquin Auctor, quid inde contra me? quod tantummodo ad eruditionem ex recenseo mente Barbosa, ut clare demonstro cit. n. 8. sic concludendo: hæcenus Barbosa.

Nec valet inquam, instare quod Bonifacius II. in Concilio Romano I. Vigiliis Diaconum sibi successorem elegerit anno Christi 531. ut refert Anastasius Bibliothecarius in vita ipsius Bonifacii, & habetur: 2. Concilior. part. 1. fol. 465. col. 2. & folio 646. col. 3. in hæc verba: Hic, scilicet Bonifacius II. congregavit Synodum in Basilica Beati Petri

Apostoli, & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum Chirographis Sacerdotum, & iurejurando ante Confessionem B. Petri in Successorem Pontificem Diaconum Vigilium constituit. Nec desunt alia exempla his similia. Nam S. Gregorius VII. anno 1085. elegit Victorem III. Victor III. anno 1086. elegit Urbanum II. Urbanus II. anno 1099. elegit Paschalem II. ut videre est apud Baronium ad annum Christi 1085. fol. 188. & ad annum 1087. & apud Fagnan. loc. cit. n. 22. Et ad hoc facit textus in cap. Si transitus 10. dist. 79. ibi: Si transitus Papa inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris non possit ante discernere, &c. per quae verba innuitur, posse Papam ante transitum suum de Successore discernere, & deliberare.

10 Non valet, inquam, quia factum illud Bonifacii II. in Concilio iterum congregato, ab omnibus fuit reprobatum, ut testatur idem Anastasius Bibliothecarius in dicta vita eiusdem Bonifacii, dicens: Eodem tempore facta iterum synodo hoc censuerunt Sacerdotes omnes propter reverentiam Sedis Sanctae, & quia contra canones fuerat hoc factum, & quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est. Majestatis, quod Diaconum Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem B. Petri Apostoli constituit, ac ipsum constitutum in presentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus incendio consumpsit, & etiam refertur tom. 2. Concilior. part. 1. fol. 643. col. 2. lit. C. Unde merito S. Silvester Papa in epistola ad eundem Vigilium Diaconum Pseudo-Pontificem exprobat: Quia contra Jura canonica temporibus sanctae memoriae Bonifacii Papae, & ipso vivente designari conabar, nisi amplissimum Senatus obviasset, justa tunc providentia pastoralis, ac pontificali auctoritate tua exsecranda jam deberant auspicia detruccari: sed dum parvum vulnus in te est neglectum, insanabile tunc crevit apostema. Alia vero exempla in contrarium adducta, si accurate considerentur, nullam vim faciunt, nam illa non fuerunt electiones, & substitutiones successorum; sed potius designationes, & commendationes personarum, quae sibi ad tantum munus subeundum prestantiores viderentur. Pontifices enim à Cardinalibus rogati indicantur, quem dignum putarent cathedra Petri, salvus tamen Cardinalium suffragiis; ideoque nullus ex designatis gessit se pro Papa, nisi post subsecutam Cardinalium electionem, & ad hoc facit cap. Petisti 17. caus. 7. q. 1. ibi: Si cum aptum i. cognoveris, tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. Ad textum autem in cit. cap. Transitus, respondetur cum Glossa ibid. quod aliud est de sui successoris electione cum Fratribus, seu Cardinalibus deliberare, quod ibi permittitur, & potest fieri; & aliud est testamentum, quasi dignitatis suae haereditate substituere, quod penitus prohibetur, ut cap. Episcopo 3. cap. Episcopo 4. cap. Plerique 5. c. Moyses 6. caus. 8. q. 1. cum similibus. Sic respondet ad litteram Gratianus in c. Apostolica §. His omnibus 7. caus. 8. quest. 1. & Glossa in cit. cap. Transitus, & ibi Archidiaconus, Bellamer, Turrecrem. & reliqui omnes, teste Fagnano loc. cit. num. 62.

11 Hinc plures Pontifices etiam ex non primævis licet rogati, & persuasi ad sibi successorem eligendum, id facere omnino recusarunt. Sic Celestinus III. cum gravi morbo laborans, renuntiare vellet Papatui, & Cardinalis Joann. de S. Paulo tituli S. Prisce in ipsius locum subrogari, & assumi summo pretere cuperet, tamquam inauditum in ecclesia Dei id minime fecit. Paulus III. persuasus à Cardinali Francisco Pisano Veneto Episcopo Patavino ut sibi successorem eligeret, omnino respuit. Pius IV. in consistorio Cardinales alloquens, ipsisque suam sententiam exponens adjecit se utique scire, quæri à

Juriconsultis; An Romanus Pontifex sibi successorem diligere queat? Et sub Paulo IV. agitatam fuisse questionem: An idem Pontifex adiutorem cum futura successione adscribere possit? Et quævis nonnulli id affirmant, eam tamen sententiam Pius uti falsam rejiciendam censuit, volebatque declarare Pontificem Cardinalibus etiam assentientibus id facere non posse; major pars Cardinalium decretum faciendum judicavit, sed Cardinalis Gambara dixit, declaratum olim à Pontifice in consistorio, & decreto firmatum hoc à Pontifice. Sic ex aliis refert Card. Petra tom. 4. comment. ad const. 5. Clement. VI. numer. 9.

Unde à Papa nequit valide fieri constitutio etiam de consensu Cardinalium, quod Summus Pontifex possit sibi successorem substituere: Card. Zabarell. in Clement. Ne Romani in 5. q. num. 5. de elect. Card. Turrecrem. In summa de eccl. lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 15. & in cap. Si transitus 10. num. 1. dist. 79. August. Triumph. de potest. eccl. quest. 3. art. 3. in corp. Mart. Laud. de Card. quest. 39. inter tract. commun. tom. 4. fol. 62. Hieronym. Manfred. de Cardinalib. decis. 15. tom. 13. tract. part. 2. fol. 86. Card. Cajet. Opuscul. tom. 1. tract. 2. de potest. Papae, & Concil. Apolog. 2. cap. 12. Petrus de Palud. de potest. Eccl. lib. 4. Silvester in verb. Excommunicatio 9. num. 3. Gregorius de Valentia 1. 3. disp. 10. q. 3. de statu Episc. punct. 3. §. Quarta assertio; Card. Baron. ad annum Christi 11. fol. 188. & passim Moderni, teste Fagnano loc. cit. num. 31. qui numeris sequentibus quinque præcipuis solidis fundamentis hanc conclusionem propugnat.

Summus ergo Pontifex assumi debet per electionem, quæ primo post Sanctum Petrum fuit apud Ecclesiam Romanam Senatum ex XXIV. Presbyteris & Diaconis Romanæ Urbis, quos ipse Sanctus Petrus tanquam Senatores Romanæ Ecclesie in locum absentium Apostolorum instituit ad instar XXIV. seniorum, quos in Apocalypsi cap. 4. Joannes super throno in conspectu Dei sedere conspexit, & ipsos Romani Pontificis Consiliarios, Coadjutores, & Electores pro tunc esse voluit, inter quos præcipui erant Linus, Cleus, & Clemens, ut in cap. Si Petrus caus. 8. q. 1. qui postea singuli successive Romanam Sedem tenuerunt.

Deinde vero post tempora S. Silvestri, à quo cepit ecclesia bonis temporalibus, ac terrena potestate perfrui orientibus scandalis, & scissuris inter hujusmodi ecclesie Senatores reliquus Clerus Romanus, ac populus ad presentiam, & corroborationem exhibendam adjunctus electioni Pontificis, ut colligi videtur ex cap. Factus 5. caus. 7. q. 1. Et hoc tribus potissimum rationibus; primo ad removendas seditiones Clericorum; secundo ut omnibus in eligendo esset dicendi facultas, & liceret vitia, vel virtutes eligendi proferre, & sic electioni suo consensu testimonium perhibere; cap. Reliqui 1. dist. 67. Tertio ne populus invitus, & non optatum Prælatum acciperet; cap. Nullus invitus 13. dist. 61. cap. Si forte 36. dist. 63. Hactenus Barbosa loc. cit. n. 49. & 50.

Progressu autem temporis ad sedandas adhuc contentiones & tumultus, qui in hujusmodi electione nihilominus oriebantur, Imperatores suas manus huic electioni interponere coeperunt, non quidem auctoritate electiva, seu vere confirmativa, sed solum opulativa, seu auxiliativa, & executiva, quatenus nempe in publicæ pacis officium electionem promovebant, & jam factam sua auctoritate ipsi favebant, & defendebant, ne schisma oriretur; & si quod ortum esset, comprimebant, tumultusque sedabant; sub is enim restrictionibus esse concessum erat, ut electioni intervenirent, ac electioni eorumdem auctoritas inserverit, nunquam tamen quod electioni præessent, vel in ea suffragium ferrent, aut eandem

factam, vel firmarent, vel infirmarent.

16 Non valet dicere, quod Imperatores habuerint jus eligendi Romanos Pontifices, ut concessum fuisse Carolo Magno ab Adriano I. habetur in cap. Adrianus 22. dist. 63. & Othoni I. à Leone VIII. ut habetur in cap. In Synodo 23. eod. dist. 63. Non valet, inquam, quia canones illos esse apocryphos, commentitios, & fictitios scribunt Cardin. Bellarminus de Summo Pontifice. l. 2. c. 22. & de Clericis cap. 9. & in Apolog. pro responsione sua ad lib. Regis Angl. c. 7. tom. 6. suorum operum; Cardin. Baron. Annal. eccl. ad annum 526. & 555. & præsertim ad annum 774. à n. 10. & ad annum 964. à n. 22. Suarez de Defensione Fidei Catholica contra Anglicane secte errores lib. 3. cap. 29. num. 7. Azorius Institution. moral. part. 2. lib. 4. cap. 2. quest. 3. Jacobus Gretser in apolog. Baron. cap. 1. &c. Seraphin de Freytag de justo imperio Lusitan. Aristot. cap. 6. numer. 100. & 101. Solorz. de jur. Indiarum lib. 2. cap. 22. num. 39. tom. 1. Bonacin. de election. Pontificis q. 1. punct. 1. proposit. unic. n. 9. Fagnan. in cap. Accepimus, & pactis num. 64. & alii plures apud Card. Petram loc. cit. num. 26. dicentes fabellam, & imposturam esse à Sigiberto Monaco Gemblancensi Schismatico Historico, atque Imperatoris Henrici partes adversus Romanos Pontifices propugnante, in fine suæ Chronographiæ adjectam. Hic enim in gratiam schismatici Imperatoris Henrici, vindicantis sibi ecclesiarum investituras, eosdem canones primo conexit, cum nullus plane alius, qui ante eum scripserit res Francorum de recensitis in illis vel levem mentionem fecerit, ut notarunt Coriolanus in Brevario ad annum 770. Spondanus ad eundem annum n. 4. Gonzalez in primo tit. 6. c. 5. n. 12. plures allegans; Qui omnes nimis credulitatis prout in aliis fuit, & levitatis virum appellant Gratianum, eo quod illud Concilii decretum suæ canonum collectioni innotuide nimis consarcinaverit. Unde Cabassut. Provis. eccl. ad annum 1274. dissert. 2. ad Conc. Lugdun. II. n. 4. dicit, canones allegatos cum eo, qui præcedit, merito deberi esse collectione expungi, & obliterari.

18 Sed quatenus prædictis canonibus aliqua esset adhibenda fides, tamen confirmatio electionis, quam ex asserto Indulto Apostolicæ Sedis tunc temporis concedebant Imperatores, non conferebat Papæ auctoritatem Papatui, alioquin Papatui esset ab Imperatore, quod est hæreticum, cum sit à Deo tantum; cap. Omnes 1. & cap. Sacrosancta 2. dist. 22. cum similibus; sed solum dabat robur factum, ut schismatici, & hæretici non auderent contravenire, ut optime probant Card. Turrecremata in dict. c. Adrianus n. 1. Fagnan. loc. cit. num. 63. & alii plures. Tum quia Papa non potest alteri impertiri facultatem eligendi Summum Pontificem, quia regula Juris est quod nemo possit per alium facere, quod per se ipsum facere non potest; cap. Nemo 79. de Regul. Juris in 6. ibi: Nemo potest plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur; Nemo enim dat quod non habet; cap. Dalbertum 24. caus. 1. q. 7. cap. Quomodo de consecrat. dist. 4. cap. Quod autem 5. de Jurepatron. Papa autem nequit sibi eligere successorem, ut supra probatum est à n. 2. & neque de consensu Cardinalium facere potest constitutionem, quod Summus Pontifex potest sibi successorem substituere, ut supra num. 12. Unde tanto minus potest concedere Imperatoribus jus eligendi, & confirmandi Summum Pontificem, Sic optime probant Cardin. Alban. in tract. de Cardinalib. quest. 32. Fagnan. loc. cit. n. 66. & alii passim (Astruunt præcedentes determinationes leg. 5. tit. 5. prop. fin. ibi: non la puede hacer: p. 1. 11. tit. 21. p. 2. & Reg. 12. tit. 34. p. 7.)

20 Immo cum post decretum Nicolai II. relatum in c. In Nomine Domini 1. dist. 23. (in quo notat Card.

Petra tom. 4. Comment. ad Const. 5. Clementis VI. n. 33. ad sedandas seditiones, tumultus, & rixas, quæ in electione Summi Pontificis oriebantur, sancitum fuerat, ut electio Papæ à Cardinalibus Episcopis perageretur, ac deinde reliqui Cardinales Clerus, ac populus Romanus ad eam comprobendam accederent, salvo tamen honore, & reverentia Henrici Imperatoris); Cum adhuc quandoque violentia Imperatorum in electione Papæ schismata orirentur, Alexander III. qui & illa suo tempore non semel expertus fuerat, statuit in Generali Concilio, ut ille demum canonice electus censeretur, in quem duæ ex tribus partibus omnium Cardinalium consensus, prout refertur, in cap. Licet 6. de electione; & sic excluso Cleri, & populi, & Imperatoris consensu, qui requirebatur attentio Nicolai II. decreto in cit. cap. In nomine Domini. 1. dist. 22. postea tota Pontifici electio ad solum Cardinalium collegium redacta fuit per dictum Alexandrum III. in c. cap. Licet 6. de electione. quod deinde fuit confirmatum, & plenius statutum à Greg. X. in Concilio Generali Lugdunensi relato in c. Ubi periculum 5. de elect. in 6. & à Clemente V. in Concilio Viennensi relat. in Clement. Ne Romani 2. de elect. Vid. Barb. loc. cit. numer. 55. & 56. Card. Petram loc. cit. à n. 35. ad 38. (Convent. lex 7. tit. 5. p. 1.)

Insuper ne diuturnæ vacationis incommodis Romana Ecclesia premeretur, neque Cardinales possent ambientium studiis corrumpi, Gregorius X. in dict. cap. Ubi periculum de elect. in 6. Clemens V. in cit. Clement. Ne Romani 2. de elect. Clemens VI. in cit. incip. Licet, Clemens VII. const. incip. Cum Charissimus, Paulus IV. constit. incip. Cum secundum, Pius IV. const. incip. In eligendis, Gregorius XV. const. incip. Eterni, & alia ejusdem Gregor. incip. Decet Romanum Pontificem. Urbanus VIII. const. incip. Ad Romani, & novissime Clemens XII. const. incip. Apostolatus Officium, plura circa electionem Papæ statuerunt, quorum aliqua magis notabilia ex Barbos. loc. cit. à num. 60. & Card. de Luca in p. 2. relat. Romana Curia disc. 3. referre placet.

Primo igitur ante Papæ electionem statim priore defuncto Cardinales absentes sunt monendi, ac per decem dies à die mortis Pontificis computandos, expectandi, cit. cap. Ubi periculum 3. de electione in 6. & cit. const. Pii IV. in c. In eligendis. Si tamen ante dictos decem dies elapsos ex aliqua justa causa præveniendi, fiat Papæ electio à communi Cardinalium presentium vel duarum partium eorum consensu, non expectatis Cardinalibus absentibus, talis electio erit valida, cum expectatio dicti temporis non pertineat ad substantiam electionis; Lavorius variarum lucubrations. t. 1. l. 4. c. 7. n. 4. Diana part. 5. tract. 2. resol. 75. Azorius Inst. moral. part. 1. lib. 4. cap. 2. quest. 5. Bonacina de elect. Pontif. disp. 1. quest. 3. in princ. à num. 1. Barbosa loc. cit. à n. 61. & alii passim.

Cardinales absentes non sunt solèmi convocati, seu citandi eo modo, quo de jure in aliis electionibus, & actibus capitularibus alii electores sunt vocandi, Glossa in cap. Ubi periculum, verb. Decem dierum; & ibi Archidiaconus verb. Expectare, Card. de Luca part. 2. relat. Romana Curia disc. 3. n. 17. Lavor. l. c. tit. 4. c. 7. Mendoza in Regul. 32. Cancellar. q. 8. n. 8. Barbosa l. c. n. 62. & alii Cardinales presentes solent certiorare Cardinales absentes de obitu Pontificis per literas à Secretario Sacri Collegii subscriptas. Barbosa loc. cit. num. 63. Lavorius in fine dicti tit. 4. pag. 554. ubi dat formulam ipsarum literarum.

Cardinales absentes, licet desint ex publica causa, & de licentia Romani Pontificis, ad electionem Successoris expectandi non sunt ultra decem dies, Pius IV. in const. inc. In eligendis, §. Declarand. Card.

dinales presentes per novem dies debent celebrare exequias defuncti Pontificis; *cit. cap. Ubi periculum 3. de elect. in 6. §. Quia vero.*

29 Secundo, dum exequia per dictos novem dies a Cardinalibus celebrantur, singulis diebus Cardinales non impediti in Basilica Vaticana conveniunt, & ante dictarum exequiarum celebrationem congregari solent in eisdem Basilica Sacristia, ut Principum Oratores, ac etiam Officiales, & Magistratus audiant, aliasque congruas praebeant provisiones pro utriusque principatus regimine, ac etiam pro conclavis ordinatione, quod intra id temporis fabricari debet in pontificio palatio, nullo intermedio pariete, & ibi commanere debent Cardinales, donec per ipsos Summus Pontifex fuerit electus, *cit. cap. Ubi periculum, §. Hoc sacro.*

30 Decima vero die, celebrata prius in eadem Basilica missa de Spiritu Sancto, Cardinales in Urbe existentes, & legitime non impediti processionaliter Conclave ingrediuntur; Legitime autem impediti solent sero privatim ingredi. Cardinalibus jam existentibus in propriis cellis, quae per sortem absque aliqua personarum acceptione distribuuntur; per totam illam diem liber patet aditus Principum Oratoribus, ac Magnatibus & Praelatis, aliisque omnibus, tam nobilibus, quam popularibus Conclave peragendi, atque benevolos Cardinales in cellis visitandi, & praesertim Principum, & Rerumpublicarum Oratores, & Magnates totum Collegium visitant, eisque obsequia praestant, atque felices faciunt adulatorias angustiones, ut refert Card. de Luca p. 2. *Relat. Romano Curiae disc. 3. n. 13.*

31 Omnibus autem de sero exclusis praeter eos qui in Conclavi cum Cardinalibus remansuri sunt, illud ad formam rigorosae clausurae undique redactum clauditur per eisdem Conclavis Custodes, qui duo sunt fixi, ac principales, ille scilicet Praelatus, qui ab eodem Collegio ante ingressum electus fuerit, qui *Conclavis Gubernator*, dicitur, & alter Secularis, qui *Conclavis Marescallus* nuncupatur; alii vero Custodes sunt Praelati, ac etiam respective Conservatores populi custodientes rotas, per quas victualia, aliaque necessaria transmittuntur, ad formam clausurae monasteriorum Monialium, dictique Custodes per turum deputari soliti singulis diebus invigilant, ne apostolicis constitutionibus contraveniant circa allocationes, vel litterarum transmissionem; *cit. cap. Ubi periculum §. Hoc sacro; & cit. const. Pii IV. incip. In eligendis.*

32 In Conclavi sub clausura, ultra Cardinales, remanent regulariter duo cujuslibet Cardinalis familiares, qui vulgo *Conclavistae* nuncupantur, pro eorum servitio, solumque Cardinalibus senibus, vel infirmis, ac etiam iis qui de Principum genere sint, indulgetur tertius familiaris, seu Conclavista, ratione majoris servitii quo indigere dignoscantur iudicio ejusdem collegii, a quo pendet concessio tertii familiaris, seu Conclavistae, & tales familiares, seu Conclavistae non debent esse mercatores, ministri principum, domini temporales, & jurisdictionem habentes, neque fratres, aut nepotes Cardinalium, etiam si expensis eorum viverent; sed debent esse ipsorum Cardinalium vere servientes, familiares domestici, & continui comensales cujusque respective saltem ab anno ante, & adhuc pro tunc tales existere *cit. const. Pii IV. incip. In eligendis §. Qui servientes.*

33 Ultra praedictos familiares cuilibet Cardinali specialiter necessarios remanent in conclavi alii quoque officiales vel ministri servitio Cardinalium in communi; scilicet tunc sacrista cum Clerico coadjutore, duo Magistri Cereoniarum, qui celebrantur ministrent, unus Religiosus pro confessionibus audientibus, unus collegii Secretarius cum uno tantum famulo; duo medici, unus chirurgus, cum uno, aut duobus servitoribus; duo barbitonsores cum uno,

aut duobus servitoribus; unus faber lignarius; unus cementarius; item octo, aut decem servientes bajuli publicae utilitati, & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, & pro aliis hujusmodi ministeriis, qui omnes a Collegio Cardinalium, non tamen ex familia alicujus Cardinalis, eligi debent per secreta suffragia, ita tamen, ut is obtineat, qui plura vota tulerit, & eis salaria de publico persolvantur, *cit. const. Pii IV. incip. In eligendis, §. Sacrista. (Vid. verb. Cardinales, art. 5.)*

Circa cibum, & potum intra Conclave Cardinalibus portandum Greg. X. *in cir. cap. Ubi periculum, §. Hoc sacro*, statuit, quod si intra tres dies post ingressum Conclavis non fuerit electus Papa, per spatium quinque dierum immediate sequentium singulis diebus, tam in prandio, quam in coena uno ferculo solo sint contenti, quibus, provisione non facta, decursis, tunc tantummodo panis, vinum, & aqua ministrantur. At Clemens VI. in *const. incip. Licet*; praeter panem, vinum, & aquam in prandio, & coena, unum dumtaxat ferculum, seu missum carniarium utriusque speciei tantummodo aut piscium seu ovorum cum uno potagio de carnis, vel piscibus specialiter non confectis, & decentibus salsamentis habere permittit, ultra carnes solitas, herbas crudas, caseum, & fructus, seu electuaria, quibus tamen nullum specialiter ferculum vult confici, nisi ad condimentum fieret, vel saporem, & prohibet, ut nullus de alterius ferculo vesci possit. Pius vero IV. *cit. const. incip. In eligendis §. 22. vers. Cardinales autem*; statuit, ut primo ipso die, quo Conclave ingressi fuerint, tam in prandio, quam in coena uno ferculo unius speciei tantum, atque moderato, aliis juxta constitutionem Clem. VI. qualificata contenti esse debeant, & ut quispiam in alterius Cella, vel de alterius ferculo vesci non possit.

Tertio ad hujus rigorosae observantiam constituuntur executores ex praecipuis magistratibus civitatis, ubi electio celebratur, qui praesidio juramento curare debent, ut praedictus ordo, rigore servetur *d. c. Ubi periculum §. Praeterea*; Romae autem sunt Praelati diversorum graduum, qui bis in die singulis diebus, mane scilicet, & vesperi mutantur, intimaturque a Cursoribus, servato ordine eorum omnium, qui in Romana Curia reperitur, incipiendo a Patriarchis, sequentibus Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Praelatis, juxta ordinem eorum promotionis, semperque assistit Gubernator Burgi, & duo Cursores pro occurrentibus necessitatibus, tam collegii, quam praedictorum Gubernatorum; qui quidem Praelati sub perjurii poena, ac suspensionis a divinis, maxima, & exquisita diligentia uti debent in inspicendis, & perscrutandis epulis, quae prandii, & coena tempore afferuntur, ac aliis rebus, & personis Conclave intrantibus, & de eo exeuntibus, ne sub eorum rerum velamine literae, aut notae vel signa aliqua transmittantur: si qui vero reperiantur, qui contra praedicta aliquid commiserint, familiares Cardinalium, aut alii delinquentes poenam privationis officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitatis ad obsequia, & obtinenda incurrunt, & ulterius per Gubernatorem carceribus mancipandi erunt, & inde nisi de mandato novi Pontificis minime relaxandi, sed ejus arbitrio acriter puniendi, omni facultate Cardinalibus, in favorem quorumcumque, qui in praemis, vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta, prout latius continentur in saepe citat. constitut. Pii IV. §. Praelati, & §. Quia vero.

Electio autem Summi Pontificis est celebranda ab ipsis tantummodo Cardinalibus. Sic in primis statuit Nicolaus II. *anno 1059. in Conc. Rom. c. 2.* cum hoc tamen, quod facta a Cardinalibus Episcopis Summi Pontificis electione, deinde reliqui Cardinales, clerus, ac populus ad eam comprobendam accederent, prout expresse habetur *in c. In nomine Domini*

ni r. dist. 23. & notat Card. Petra 1. 4. *Comm. ad const. V. Clem. VI. n. 33.* Et hic mos eligendi Pontificem perduravit usque ad tempora Alex. III. optime meriti de hac mea patria Alexandria civitate, utpote qui eam Sede episcopali condecoravit, & suo nomine appellandam pro sibi praesidia fidelitate, obedientia & ope, constituit. Unde quia pro simili electione & approbatione constituta a Nicolao II. adhuc quandoque schismata oriebantur, hic providissimus Pontifex Alex. III. in Generali Lateranensi Concilio statuit, ut ille demum canonicus electus censeatur, in quem duae ex tribus collegii Cardinalium partes consensissent, & sic exclusi clerici, & populi consensu requisito, ex supra laudato decreto Nicol. II. *in cir. cap. Nominis Domini*: tota Pontificis electio ad solum Cardinalium collegium redacta est per ipsum Alexandrum III. ut expresse patet *in cap. Licet 6. de electione*. Unde ut dicit Onophris in annotatione ad vitam d. Alexandri III. in electione Lucii III. sui immediati successoris ea tunc primum redacta fuit ad solos Cardinales, clero omnino, & populo a Summi Pontificis electione exclusis, & lex salutaris a dicto Alex. III. in Concilio Generali Lateranensi anno 1179. celebrato lata de duobus tertis suffragiorum Cardinalium ad evitanda impostura schismata, executioni mandata fuit, quod dicit sibi constare ex ejusdem Pontificis diplomate apud se assertivo. Et hac facultas eligendi Summum Pontificem solis Cardinalibus demandata, fuit confirmata, & plenius statuta a Gregorio X. in Concilio Lugdunensi 1274. celebrato, ut habetur c. Ubi periculum 3. de elect. in 6., & a Clemente V. in Concilio Viennensi 1310. prout refertur in *Clementina, Ne Romani 2. de electione*, & expost fuit semper in ipsis inviolabiliter conservata. Barbosa lib. 1. *Juris Ecclesiastici univers. cap. 1. num. 55. §. seq. cum pluribus aliis ibi citatis, & alii passim (Lex citat. sup. 21. idem de canonica electione assertit.)*

Unde Cardinales omnes, etiam nuper creati, & publicati vocem habent in electione Pontificis, etiam si nondum insignia Cardinalatus acceperint, neque os clausum, aut si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. S. Pius V. *sub die 26. Jan. 1571. const. quam refert Jul. Lavorius varior. lucubr. tom. 7. ad. c. 6. num. 21. & cit. Fagnan. in cap. Licet 6. de electione num. 19. Barbosa l. c. n. 72. Bonacina de electione Pontific. quest. 1. punct. 1. proposit. unica n. 4. Diana part. 5. tract. 2. resol. 74. & alii. Et idem quoque statuit Gregorius XV. constit. incip. Decet Romanum Pontificem, in caeremoniali §. Porro: Cardinales omnes ad electionem Pontificis admittuntur, quamvis excommunicati, suspensi, aut interdicti. Clementin. Ne Romani 2. de electione; Pius IV. *const. incip. In eligendis §. Et ne dissensiones*; Gregorius XV. *const. incip. Aeterni vers. Volumus etiam*:*

Cardinales vero nondum ordinati ad Diaconatum in electione Pontificis vocem non habent ex constitutione Pii IV. *incip. In eligendis §. Statuimus* Idem quoque statuerunt Sixt. V. *const. incip. Postquam, §. Neque posthac*; & Gregor. XV. *in caeremoniali ipsius jussu composito, & confirmato ab ipso const. incip. Decet Romanum Pontificem*; & ab Urb. VIII. *const. incip. Ad Romanis*; quibus tamen constitutionibus, & caeremoniali quoad hoc haecenus derogare solent Summi Pontifices, quando Cardinales nondum Diaconos creati, & de hoc expedire jubent Breve particulare, ad testantur Lavorius *loc. cit. cap. 6. num. 22. Barbosa loc. cit. num. 73. Cardin. de Luca part. 2. relat. Rom. Curiae, disc. 3. num. 10. & alii.*

Si ante factam electionem plurimi Cardinales decedant, & recedant, & nolint electioni intervenire; electio pertinet ad solos superstes electioni intererentes, quamvis duo tantum remaneant, quia

unus potest eligere alium. Anan. *in cap. fin. de appellat. Lavorius loc. cit. cap. 6. num. 25. Silvester verb. Excommunicatio 9. num. 2. Barbosa loc. cit. num. 74. & alii passim.* Immo quamvis unus solus remanserit, ad ipsum spectabit electio: Glossa *in cit. Clementin. Ne Romani 2. de elect. verb. Omnes*; Alb. de Cardinalibus *quest. 23. & 25. Laudens. de Cardinalibus, quest. 14. Panvin. de offic. & potest. Capituli, Sede vacante, praesud. 5. num. 8. Manfred. de Cardinalibus, decis. 268. 289. & 291. Villadieg. de orig. & potest. Cardinal. q. 5. num. 26. Bonacin. de Legibus disp. 1. quest. 1. punct. 3. Et de electione Pontific. quest. 1. punct. 1. §. 4. num. 2. disp. 1. Barbosa, loc. cit. num. 74. & alii passim; Jus enim, & nomen Universitatis propter casus supervenientiam conservari potest etiam in una sola persona; Leg. Sicut 7. §. 2. ff. Quod cujuscumque Universitatis nomen, & ibi Bart. Gloss. in leg. Neratius ff. de verb. signific. Card. de Luc. part. 2. relat. Roma Curia disc. 3. num. 9. Albanus de Cardinalibus *quest. 23. Barbosa loc. cit. num. 74. & alii: Vide verb. Electio art. 2. num. 5. & art. 4. num. 23. & 24.**

Non posset tamen eligere se ipsum, arg. cap. In scripturis 9. *caus. 8. quest. 1. cap. Ad nostram 7. de Instit. cap. Per nostras 26. de jure patron. & Glossa communiter recepta in cap. Cum in jure 23. de electione verb. Ex se, vel aliis. Vide verb. Electio art. 3. num. 28. art. 2. num. 6. Abbas autem in cap. Licet in fine, de electione, dat remedium, quo possit talis Cardinalis se ipsum eligere, ut scilicet is totius Sacri Collegii nomine alteri eligendi potestatem demandet, qui veluti compromissarius ipsum eligat. Albanus vero de Cardinalibus *quest. 24. dicit talem opinionem Abbatis procedere, quando ille solus remansisset, ceteris exeuntibus, vel absentibus, non autem mortuis; Vide Barbosa cit. lib. 1. juris ecclesiast. univ. cap. 1. num. 74.**

Si omnes Cardinales (quod Deus avertat) morerentur ante factam electionem Pontificis, & nullus extaret, non conveniunt Doctores ad quem spectaret Pontificis electio. Multi enim dicunt, quod in hoc casu electio spectaret ad Canonicos Lateranenses, quorum ecclesia est propria sedes Pontificis super omnes Orbis, & Urbis, & hanc sententiam alii probabiliores, & tutiores dicunt Abbas, Hostiensis, Ludovicus Romani *in cap. Licet 6. de elect. Imola in Clementin. Ne Romani 2. de electionibus. Barbosa ibid. num. 23. & de jure eccles. univ. lib. 1. num. 75. Dvyns Anton. part. 3. Summa II. 22. §. 2. num. 5. Lavorius varior. resol. tom. 1. tit. 4. cap. 6. num. 27. Azor. part. 2. lib. 4. num. 2. quest. 11. Dionysius de vera quatuor Patriarchar. sedium eredi. cap. 6. n. 13. Card. Petra tom. 4. Comment. ad const. V. Clementin. VI. num. 20. & ad const. 1. Gregorii XI. n. 14. Alii vero affirmant, quod in tali casu electio Pontificis spectaret ad Concilium Generale, quia Pontifex non solum Urbis Romae, sed totius ecclesiae universalis est Pastor. Sic Decius *in citat. cap. Licet 6. de elect. Aug. de Ancona in Summ. quest. 5. art. 3. & alii.* Nonnulli tamen dicunt tunc temporis electionem Pontificis pertinere ad Patriarchas. Sic Baldus in l. Ubi absunt, ff. de Tutor. & Curator. Contad. in templo omnium *judic. l. 1. §. 2. num. 6.**

Sede vacante tempore Concilii Generalis legitime congregati, electio Pontificis spectat ad Cardinales, & non ad Concilium. Diana p. 5. *tracl. 2. res. 74. Bonacina de elect. Pontific. quest. 1. punct. 1. §. 4. Barbosa cit. cap. 1. num. 76. & alii plures.* Unde in Concilio Pisano, in quo tamquam dubii Pontifices Gregorius dictus XII. & Benedictus dictus XIII. de Sede depositi fuerunt, non quidem deponendo veros Pontifices in ratione auctoritativa, sed in ratione declarativa, aperiendo scilicet, quod neuter eorum bene, & legitime occuparet Sedem Papalem, eamque pro vacua, seu vacante habendam, Car-

dinales Conclave ingressi, & non Concilium, elegerunt in Summum Pontificem Petrum Philargi (vel Philareto) ex meo Minorum Ordine Archiepiscopum Mediolanensem, virum magnum sanctitatis, & eximie doctrine, qui appellari voluit Alexander V. Item in Concilio Constantiensi, in quo tamquam dubii Pontifices Gregorius dictus XII. Joannes dictus XXIII. & Benedictus dictus XIII. eodem modo quo supra de sede depositi fuerunt, & declarata Sede vacante, Cardinales, & non Concilium, elegerunt in Summum Pontificem Odonem, seu Othonem Columnam, virum tum claritate sanguinis, tum nobilitate virtutum undequaque insignem, postea Martinum V. appellatum. Vide Historiam ecclesiasticam eruditissimi Patris Ignatii Hiacynthi Amat de Graveson tom. 6. fol. 500. primæ impressionis Romanæ, ubi de electione Alexand. V. sic præcise habet: *Cardinales numero viginti quatuor concordibus suffragiis die 14. Junii 1410. Summum Pontificem elegerunt Petrum Philargum, vulgo de Cardia nuncupatum, Ordinis Fratrum Minorum Cardinalem, & Archiepiscopum Mediolanensem, qui Alexandri V. nomen sibi sumpsit: & eodem tom. 6. fol. 110. de Martino V. sic præcise habet: Concordibus suffragiis die 11. Novembris 1416. Odo de Columna patria Romanus ex Illustrissima Columnensium prosapia oriundus Cardinalis Tituli Sane-ri Georgii in Velabro, seu ad velum aureum, Pontifex Romanus electus est, dictusque Martinus V. qui tamen juxta Ordinem Romanorum Pontificum, qui eo Martini nomine nuncupati fuerunt, dicendus esset Martinus III. Et eodem tom. 6. fol. 248. item commemorat. electionem Alexandri V. & fol. 270. electionem Martini V. Vide ibi.*

46 Licet ex quibusdam canonibus antiquis videretur non posse eligi in Summum Pontificem nisi qui esset Cardinalis, ut innuitur cap. Oportebat 3. & cap. Nullus 4. dist. 79. Tamen nunc potest eligi etiam non Cardin. Card. de Luca-Relat. Romana Curia dist. 3. num. 22. & seq. & alii infra citandi. Colligitur ex 6. In nomine Domini 1. dist. 23. vers. Eligatur, & cap. Licet 5. de electione ubi Alexander III. statuit, quod ille absque ulla exceptione ab universali ecclesia Romanæ Pontifex habeatur, qui à duobus partibus (scilicet Cardinalium concordantibus electus fuerit), & receptus. Et post hanc Alexandri III. constitutionem sex numerantur non Cardinales, qui ad Apostolatus apicem electi sunt, videlicet Urbanus IV. Gregorius X. Celestinus V. Clemens V. Urbanus V. & Urbanus VI. ut recte observat Fagnanus lib. 1. Decret. in cit. cap. Licet 6. de elect. num. 15. Vide tamen const. 50. Sixti V. incip. Postquam §. 2.

48 Immo etiam laicus potest valide eligi in Pontificem maxime ob eximie vite merita & Clericorum inopiam. Celestinus enim V. ex eremo vocatus cum nec esset in Sacris, Pontifex est creatus; colligitur ex ceremoniali Romanæ Ecclesiæ, ubi datur forma ordinandi eum, qui ex laico fuerit assumptus. Sic tenent Gloss. in cap. Si quis pecunia 9. dist. 79. verb. Non Apostol. Decius in cit. cap. Licet 5. de elect. num. 9. LAVORIUS loc. cit. 4. cap. 1. tit. 4. cap. 12. num. 10. Barbosa lib. 1. Juris eccles. univers. cap. 1. num. 58. cum pluribus ibi citatis, & num. 78. Boet. Epo. lib. 1. de Regul. num. 208. p. 137. ubi dicit, quod laicus interim Pontifex mitra nihilominus ornatus Clericatum suscipit, ac ad ordines omnes ecclesiasticos promovetur.

49 Nec electionis validitati obstat, si uxoratus in Pontificem eligatur; quia si uxore consentiente hoc contingat, videtur eam cogi posse: ut convertatur, prout arg. cap. Qui uxorem 10. caus. 33. q. 5. resolvit Archidiaconus in cit. cap. Si quis pecunia 9. dist. 79. & tenent Fagn. loc. cit. num. 15. cum duplici Glossa ibi citata, Machado en su perfecto Con-

fessor t. 2. l. 4. part. 7. tract. 4. docum. 2. num. 3. Bonacin. de elect. Pontif. disp. 1. q. 1. in princ. num. 4. Barbosa l. c. num. 70. & alii. Si autem vir absque licentia uxoris ad Summum promoveretur Pontificatum, posset ab ipsa revocari, & ei debitum reddere teneretur; quia cum hoc sit debitum justitiæ, non potest lædi per Pontificatum, quamvis bona fide assumatur, eo quod uxor mortua credatur. Ita Abbas in c. Constitutus n. ult. de Convers. Conjug. & in cap. Uxoratus num. 1. eod. tit. Silvester in Summa verbor. Matrim. 8. q. 13. dist. 2. Major. de irregul. lib. 1. c. 34. num. 3. Perez lib. 1. gloss. 3. vers. sic. In tantum tit. 1. lib. 5. Ord. p. 23. Flamin. Paris. de resign. benef. lib. 3. q. 18. num. 126. cum seq. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 38. num. 12. Azor. Instit. moral. p. 1. lib. 23. cap. 14. num. 13. in fine. Trot. de vero, & perfecto Clerico lib. 2. c. 8. n. 3. Barbosa l. c. n. 80. & alii.

41 Fœmina Papa esse non potest, Communissima arg. cap. Nova 10. de Penitent. & remissionibus. Hinc fabulosissimum est illud, quod aliqui scribunt, feminam quamdam sub nomine Joannæ fuisse electam Romæ in Summum Pontificem. Quomodo enim potest rationaliter dici, quod Christus Dominus voluerit permittere Pontificatum, & clavem ecclesiæ committi uni femine peccatrici, cum nec suæ sanctissimæ Matri Virgini Mariæ commiserit? cit. cap. Nova de Penitent. & remissionibus, ibi: Quia licet Beatissima Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolus universis; non tamen illi sed istis Dominus claves regni colorum commisit. (Concordat lex 26. tit. 6. p. 1.) Unde merito rejicitur communiter hæc fabula de Joannâ Papissa, ut videtur est apud Panvin. in annotat. ad Platinum; Card. Bellarm. tom. 2. contro. 3. cap. 24. Card. Baron. in annalib. eccles. anno Christi 853. Spondan. eodem ann. num. 6. vers. hoc ipso anno, Bonacin. de legitim. Summi Pontificis elect. quest. 2. in princip. & num. 2. Barbosa loc. cit. num. 82. Graveson. hist. eccles. tom. 3. fol. 307. ad 312. primæ impressionis Romanæ, & innumerum alios.

42 Eligendus in Summum Pontificem congruit, ut sit maturæ ætatis. Sanctus enim Hieronymus contra Jovinianum p. 1. Epist. lib. 5. c. 24. dum causam perquirat, quare Christus potius Petrum elegerit, quam Joannem, quem summo prosequatur amore, dicit postposuisse Joannem juniorem Petro seniori, illicque propterea commississe ecclesiæ regimen. Unde ex hac, & aliis rationibus, & juris Joannes de Selva de benef. part. 3. quest. 5. num. 14. Bonacin. cit. quest. 2. in princ. num. 6. Barbosa loc. cit. num. 83. & alii plures tenent non posse eligi in Summum Pontificem minorem triginta annis. Cum enim Papa comprehendatur sub nomine Episcopi, & de facto ipse se Episcopum nominet, debet saltem esse constitutus in illa ætate, quæ requiritur pro Episcopis, pro quibus sub verb. Ordo art. 2. n. 44. ex variis iuribus ibi adductis, diximus requiri ætatem triginta annorum completorum. Si tamen eligatur in Summum Pontificem aliquis nondum in tali ætate constitutus, electio esset valida, ut de facto fuit valida reputata, & habita electio Jo. XII. vix nati annos duodeviginti, ut testatur Graveson. hist. eccles. tom. 4. fol. 71. primæ impressionis Romanæ, Baron. ad annum 955. num. 3. & 4. & alii, & electio Benedicti IX. decem annorum pueri, ut testatur Graveson loc. cit. fol. 80. Vincentius Fuga in Comp. Notitiæ Orbis Sacri, & profani fol. 187. Baronius ad annum 1003. n. 6. ubi dicit fuisse electum puerum annorum circiter duodecim, ut ex aliis refert etiam Bernius in hist. omnium hæreticorum tom. 3. cap. 3. fol. 24. & alii. Cum enim supradicta ætas solum de congruentia requiratur in Summo Pontifice, si minor eligatur, dummodo usum rationis habeat, ejus electio non erit invalida. Sic Cardin. Ju-

Jacobat. in tract. de Conc. l. 3. art. 2. vers. Et idem de infante: Major. de Irregul. lib. 2. cap. 30. num. 23. Campanil. In diversor. Juris canon. rub. 5. cap. 9. num. 5. LAVORIUS loc. cit. 4. cap. 22. num. 5. & 6. Dida. Narbona de usate ad omnes actus humanos requisita, anno 30. quest. 3. Perez de Lara in Compend. vite hominis cap. 29. num. 22. Machado cit. tom. 1. lib. 4. document. 2. num. 4. Roderic. à Cunha in cap. Episcopus 7. dist. 77. num. 27. Barbosa. loc. cit. num. 83. & alii passim. Vide verb. Etas num. 8. & 9.

55 Modus seu forma pro eligendo Summo Pontifice habetur in const. Greg. XV. incip. Aeterni Patris Filius; & in alia ejusdem Greg. incip. Decet Romanum Pontificem; ubi traditur ad id ceremoniale observandum, & in const. Urban. VIII. incip. Ad Romani Pontificis providentiam; ubi tam dicta constitutio Gregorii XV. de electione, quam hujusmodi ceremoniale approbatur, & confirmatur.

56 Triplici autem forma, seu modo potest fieri Papæ electio, scilicet per scrutinium, per compromissum, & per quasi inspirationem, Greg. XV. in d. const. incip. Aeterni Patris Filius §. 1. & in dicto ceremoniali approbato, & confirmato ab eodem in cit. const. incip. Decet Romanum Pontificem; & ab Urbano VIII. in cit. const. incip. Ad Romani Pontificis (Vide verb. Episcopi, pag. 172. col. 2.)

57 Triplex hic modus eligendi Pontificem traditur in dicta const. incip. Aeterni Patris Filius, & diffusius de ceremoniali incluso in cit. const. Decet Romanum Pontificem; ubi cum omnibus aliis ibi dispositis potest videri apud Bullarium tom. 3. in constitut. 29. Gregor. XV.

58 Electio Papæ debet celebrari in conclavi clauso, & uno ex dictis tribus modis, aliis nulla est, & invalida eo ipso absque ulla declaratione, & tam electus, quam eligentes, ejusque fautores, & complices incurrunt excommunicationem, aliasque censuras, & penas Summo Pontifici reservatas. Sic expresso Greg. XV. in cit. const. incip. Aeterni Patris Filius. Vide ibi per tot.

59 In dicta constitut. §. 24. Gregorius XV. expresse quoad hoc derogat Decretali Alexandri III. incip. Licet 3. de electione, & omnibus aliis pontificis constitutionibus etiam in Conciliis Generalibus promulgatis, & in corpore Juris clausis. Et quamvis ibi Greg. XV. dicit Pro hac vice dumtaxat, ad tollendam omnem difficultatem, quæ propter dicta verba oriri posset, Urbanus VIII. eandem constitutionem confirmavit, atque perpetuo in omnibus futuris Romanorum Pontificum electionibus observari præcepit, cit. sua constit. incip. Ad Romani Pontificis providentiam.

60 Papa statim ac est canonicus electus, est verus Papa quoad omnes effectus, & plenam, absolutamque habet jurisdictionem exercibilem supra totum Orbem, Glossa verb. Et dispensandi in cap. 1. dist. 27. ubi Archidiaconus num. 29. Bellarm. sub num. 22. & 23. Geminian. sub n. 26. & 27. Turrecremata n. 20. 21. & 22. Glossa final. in cap. Licet de vitanda 7. de election. Barbosa lib. 1. Juris ecclesiast. univers. num. 113. Cardin. Petra tom. 1. Commentar. ad constit. Apost. §. 3. Provincial. num. 46. & ad constit. univ. Divi Gelasii 1. num. 9. & tom. 4. ad const. 5. Clement. VI. num. 25. Conrad. in praxi dispensat. lib. 2. cap. 8. num. 20. & Communis aforism.

61 Unde Papæ electio non indiget confirmatione, ubi aliz inferiores electiones, quia confirmatio electionis per superiorem fieri debet, Papa autem nullum in terris habet superiorem, adeoque & Communis cum supra citatis.

62 Hinc merè ceremonialia sunt, quod Papa non nisi post coronationem Lateranensis Ecclesiæ possessionem nanciscatur, & quod ante consecrationem, & coronationem nec pontificatus annuum scribat in

litteris, nec simpliciter Episcopum se nominet, sed dumtaxat se subscribat *Dara suscepti à Nobis Apostolatus Officii anno Ec. N. electus Episcopus*. Sic Card. Petra locis citatis & alii passim. Immo si quis ad Jus ea reducere presumpserit, apostolicas litteras impugando ex hujusmodi prætextibus, quod scilicet Summus Pontifex ante suæ coronationis insignia providere, servare, dispensare non possit, nec se in litteris Episcopum simpliciter, sed tantum electum Episcopum scribere, nec etiam uti integra Bulla, in qua ipsius nomen exprimat, incurrit excommunicationem latam à Clemente V. in Extravagant. Quia nonnulli, de solvent. excommunic. inter Communes. Et de facto quando protrahitur coronatio, Papa expedit etiam Bullas sub plumbo cum intitutione Episcopi, & cum data Pontificatus, etsi ante coronationem, ut inter alios fecit Urban. VIII. qui cum fuerit electus die 6. Aug. 1623. & coronatus die 29. Sept. ejusdem anni, tres Bullas expedit cum intitutione Episcopi, & data Pontificatus ante dictam diem 29. Septembris, ut patet in Bullario, & observat Card. Petra tom. 1. Comment. ad constit. univ. Divi Gelasii 1. num. 9.

63 Papa postquam suæ electioni consensum præstitit, aliud nomen sibi imponit adinstar Principis Apostolorum Petri, qui antea Simon vocabatur Math. 16. Beatus et Simon Bar-Jonsa &c. & ego dico tibi tu es Petrus. Ratio autem hujus mutationis varia assignatur, sed verior est ad ostendam novam regenerationem: Quapropter sicut in Baptismate imponitur nomen; ita ingressurus Religionem, cujus professio, quasi alter Baptismus novo nomine Novitium regenerat; idque à Pontificibus, uti novis hominibus, usurpatur non sine mysterio veteris hominis exundi, Christumque prorsus invendit, juxta illud Samuelis ad Saul, Regum 10. ibi: Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in Principem... Et mutaberis in virum alium. Sic Card. Pallavic. in Historia Concilii Tridentini lingua Italica part. 2. lib. 13. cap. 1. num. 2. Card. Petra tom. 2. Comment. ad constit. 1. Celestini III. num. 4. & alii.

64 Quis autem fuerit primus, qui à Romanis Pontificibus cepit nomen mutare, non satis constat inter historiogr. Nam Platina Martinum Polonium sequutus, & post eum Duard in Comment. lib. 1. cap. 4. quest. 5. dicunt fuisse Sergium II. qui ante Orporci vocabatur, nomine videlicet indigno pontificia dignitate, & majestate. Idem referunt Petrus Messia in Silva var. lect. lib. 1. tit. 2. Illescas in historia Pontif. lib. 4. cap. 33. de Sergio II. Menochius de arbit. cur. 218. d. num. 3. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 1. num. 44. & 45. Paulus Fusc. littera P. sign. 2. vers. Qui sua electione, Thomas Actius De ludo Scachorum quest. 12. num. 133. Boet. Epo lib. 1. de Regalib. in ecclesiast. Benefic. num. 201. & plures alii citati à Cenedo ad Sextum collect. 13. num. 1. Sed hanc fabulam esse, & Martinum Polonium primo eam tradidisse, scribit Vincentius Fuga in compendio Notitiæ Orbis sacri, & profani fol. 270. & ut falsam opinionem rejiciunt Camil. Bofel. de præstantia Regis Carolic. c. 1. num. 16. Barbosa loc. cit. num. 115. & alii dicentes) constare secundum Anastasium Bibliothecarium prædictum Pontificem etiam ante Pontificatum Sergium fuisse appellatum. Alii cum Azorio Instit. moral. part. 2. lib. 5. cap. 42. quest. 6. ad Adrian. III. antea vocatum Agapetum hujus mutationis initium referunt. Alii autem, ut Vincentius Fuga loc. cit. fol. 18. Graveson loc. cit. tom. 4. fol. 71. Baronius ad annum 956. dicunt, quod Joannes XII. primus nomen mutavit, qui cum Octavianus vocaretur, in gratiam patris Joannis XI. Joannes vocari voluit hujus nominis XII. Alii vero cum Card. Petra tom. 3. Comment. ad const. 1. Celestini III. dicunt Sergium IV. fuisse primum, qui nomen mutaverit; cum enim vocaretur Petrus, ob reverentiam tanti Apos-